


ATIONVM
LXXXIV.

00
A
74



49.

AA

QVOD FELIX FAUSTVMq; SIT!

DIABETES,

Germanicè, die *SarnRubr* /

IN

DISSERTATIONE MEDICA INAUGURALI,
ANNUENTE DIVINA GRATIA,
ET AMPLISSIMO MEDICORUM ORDINE CONSENTIENTE,

IN PERANTIQA HIERANA

SUB PRÆSIDIO

MAGNIFICI UNIVERSITATIS RECTORIS,

DN. GEORGII CHRIS-
TOPHORI PETRI

ab *Hartensels* /

Med. D. Sacri Palat. Cæs. Comit. Archiat. Elector. Mo-
gunt. Fac. Med. Senioris, P.P. Physici Erfurt. & P.L.C.

PATRONI & PROMOTORIS sui omni honoris cultu
devenerandi,

PRO LICENTIA

Honores, immunitates & PRIVILEGIA DOCTORALIA
legitimè consequendi,

Placide Eruditorum ventilationi committitur

In Auditorio Majori Collegij Majoris,

Horis locoqve consvetis,

ad diem 16. Octobris, Anno M. DC. XCI.

NICOLAO *Milstermann* /


Crempâ-Holsatò.

ERFORDIÆ, Stannò GROSCHIANO,

M 11



DEO,
PATRIÆ
ET
PATRONIS
SACRUM.



I. N. 7.

Mundana Objecta mente oculisque
 perlustrans, summam ter Opt. Maxi-
 mi Conditoris sapientiam non pos-
 sum satis admirari: imprimis si per-
 pendo mutuam superiorum corporum cum infe-
 rioribus in actionibus suis harmoniam & conspi-
 rationem: ut nil jam dicam de reliquorum Pla-
 netarum virtutibus, saltem in medium hinc profer-
 re animus est stupendam efficaciam, quæ Lunæ,
 tanquam humorum Dominæ in maris fluxu & re-
 fluxu dirigendo, corpusque nostrum alterando à
 Philosophis & Medicis adscribitur: præcipuè au-
 tem intactam hinc relinquere non possum analo-
 giam, quæ humido macrocosmico cum micro-
 cosmico

A 2

cosmi

cosmico intercedit, sat evidentem: nam uti Aqua mundana motu circulari terram perluit, ex fontibus in rivulos decurrit, ex rivulis ad flumina minora transit, ulteriori decursu majora attingit, tandemque sese in vastum exonerat Oceanum: ita quoque humidum in corpore nostro (ut vulgò notum,) circulari motu fertur per majora & minora vasa, alluitq; omnes & singulas corporis partes nutritionis & augmentationis gratia. Insuper quæ admodum humidi macrocosmici defecto non tantum animalibus, verum etiam vegetabilibus, quæ scilicet inde nutriuntur & vegetantur, funestus est & exitialis, ita è contrariò illius excessus multum noxæ infert agris, quando illi cum hominum pecudumque interitu inundationibus infestantur: pari etiam ratione humidum excessivum machinæ nostræ hydraulico Pnevmaticæ maximas calamitates infert, affectus nempe Catarrhales, &c. contra humidum alibile deficiens partes corporis debitâ nutritione defraudat, id quod in Atrophia, Hectica, phtisi, marasmô, & similibus, ut & affectu nostro Diabete, ceu Hydrope ad Matulam dicto contingit: in quo ob copiosissimum liquidorum per Urinæ ductus


ductus effluxum corporis partes succo nutritio pri-
 vantur, uti mox patebit ex sequentibus. Interim li-
 cet non ignorem, quod ob causas, quas habet Dia-
 betes intricatissimas, hic affectus unus sit è numero
 illorum, et qui multis laborant difficultatibus. Selegi,
 illum non alia de causa, quam quia placuit, eam hoc
 in passu, quam alii hactenus, libertate usus: cum etiam
 secundum illud tritum in magnis aliquid voluisse
 & tentasse sufficiat, ideoque mitiora & humaniora
 à sanioribus & eruditioribus expecto judicia, si
 forte non omnia hinc ad amussim sint pertractata:
 nam unius Viri cordati iudicium pluris facio, quam
 plurimorum Zoilorum ineptas calumnias. Quo-
 niam verò in hoc conatu *supremi Numinis* auxilium
 mihi necessarium esse video, ardentissimis conten-
 do precibus, ut fons ille sapientiae inexhaustus,
 mentem meam veram rerum cognitione ve-
 lit beare, imbuere & illustrare.

Sit itaque



A 3

THESIS



THESIS I.

Diabetæ naturam & curationem indagaturo mihi incumbet, definitioni reali nonnulla, quæ ad dilucidio-rem nominis explanationem & æquivocationis omnis sublationem faciunt, præmit-tere, cum secundum ingeniosissimi Socratis effatum initi-um doctrinæ sit nominis consideratio.

TH. II.

Etymologiam igitur quod attinet, Diabetes Græcum origine est vocabulum, in foro Latino tamen receptum & componitur ex *δια* per, vel ex, & *βαίω*, id est, vado, eò, quia hoc in affectu humidum pervadit corpus, & celericursu exit. Accipitur alias diversimode vox Diabetæ: à Plutarcho pro perpendiculo sumitur: apud Columellam siphunculum, (ein Springröhre) denotat: Interim in sensu latiori pro quavis fluxione *πάτω* factâ sumi potest: in strictiore verò & usitatiore indigitat fluxum copiosum liquidorum non mutatorum per Urinarias vias.

TH. III.

Diversa insuper agnoscit Synonyma: aliò nomine dicitur Urinæ profluvium: it: siphon Urinæ, Græcè, *σίφων*, nec non matula intercus à Latinis salutatur. Mercuriali & Æginetæ hic affectus Dipsacus audit, quia adest *τὸ δίψα* *αἰκράτης*: id est, sitis incompscibilis, inextingvibilis: seu

voca-

vocatur ita à viperâ quâdam Lybiæ Dipsas seu *διψασ*
ἔχιδρα nominatâ, quæ ictu suo sitim læsis ingentem infer-
 re solet: vel ab herba ejusmodi secundum Plinium; ab
 Isidoro situla nuncupatur: & quæ sunt aliæ per plures hu-
 jus affectus appellationes: ut Lienteria Urinalis, *διὰ πόσα*
εἰς ἕγα, Germanicè, *die Harnruhr*: Hydrops deniq; matel-
 læ seu ad Matulam inter Synonyma non postremas tenet,
 non solum quia hæc vox celeberrimis Medicis Sennerto,
 Helmontio, Ettmullero aliisque solennis fuit, verum etiam
 ob analogiam, quam Hydrops abdominis hocce cum af-
 fectu habet, & phænomena, quæ utriq; sunt affinia.

TH. IV.

Maxima sanè Authorum Medicorum in hoc affectu ra-
 rissimo definiendo est discrepantia, adeò ut animo hære-
 am, quo me convertam, & cui subscribam: Medicorum
 antesignanus Galenus lib. 1. de Crisibus & lib. 2. de locis
 affectis vult, quod sit velox exitus ejus, quod potatum
 est, suâ qualitate non mutati: quem Fernel. Riverius,
 aliiq; plurimi sequuntur: alii aliter definiunt: licet
 omnes ferè in eo conveniant, quod Diabetes sit potulen-
 torum immutatorum copiosa emictio, exceptò unicò
 Willisò, (quantum ego memini) qui Diabetem verum in
 dubium vocare, imò planè negare conatur sequentibus:
Quod autem pleriq; Authores potum parum vel nihil im-
mutatum reddi asserunt, minime verum est, quia Urina in
omnibus (quos unquam me novisse contigit, & credo rem-
ota in universis se habere,) cum à potu ingestò, tum à quò-
vis humore in corpore nostro gigni solito plurimum disse-
 reus

rens quasi melle aut saccharo imbuta mirè dulcescebat, &c.

TH. V.

Magna quidem famigeratissimi hujus Angli est confidentia, qui suam experientiam tot tantique nominis Medicis unus opponere audet, licet in parenthesi apponat, *quos unquam me novisse contigit, &c.* non enim sequitur, si dicam: hunc vel illum affectum mihi videre non contigit, Ergò non datur: Siquidem Diabetes est affectus rarissimus, nec quotidie occurrens, adeò, ut etiam Galenus provectoris ætatis Medicus bis tantum in toto praxeos suæ curriculò hunc affectum se animadvertisse tradat, & ipse Medicorum Parens & antesignanus Hippocrates ubique de illo taceat. Interea in calidioribus & Orientalibus Regionibus Diabetes frequentior est, quàm in Occidente: ita ut Rabbi Moses decem annorum spatiò plures quàm viginti veros diabetes in oriente se vidisse scribat Aphor. 8. cum tamen in Occidentalibus plagis nunquam aliquid de Diabete audiverit. Quamvis autem negari non possit, quod familiarior diabetes sit Orientalibus populis, quàm Occidentalibus: non tamen penitus hic affectus in nostris terris infrequens est, utut rarius occurrat, testantibus illud ex innumerâ Scriptorum Medicorum cohorte Tulpiò, Rolfinciò, Holle-riò, Rulandò, Rondeletio, (qui ter illum in temperamenti biliosi Patre & filiâ observavit,) aliisque Authoribus clarissimis, qui hinc inde in scriptis suis hujus affectus mentionem faciunt.

TH. VI.

Duæ nimii Urinæ profluvii passim occurrunt species, quæ tantum gradu à se invicem differunt: Diabete scilicet Verus & nothus, de hoc Thomas Willisius in Pharmac. Rational. *sect. 4. cap. 3.* satis accuratè tractat, inqviens: laborantes multò plus mingunt, quam bibunt, aut liquidi alimenti assumunt: Insuper sitim continuam & febrem lentam & quasi hecticam semper adjunctas habent. Ex quibus & sequentibus Authoris hujus verò tractat, illum potissimum agere de Diabete notho: hujus Tractatione hic supersedere animus est, cum alteram potius nimii Urinæ profluvii speciem hic aggressuri simus, Diabetem scilicet verum & propriè sic dictum, qui sequentem in modum poterit describi: *Quod sit copiosissima & celerrima liquidorum assumptorum in qualitatibus non mutatorum per vesicam Urinariam excretio, cum siti inexplebili, calore præternaturali, & contabescencia corporis, à spiritu ventriculi peculiariter corrupto, sanguinis nimia serositate colligativa, & viarum, per quas Urinæ materia ad vesicam amandatur, pororumque laxitate proveniens.*

TH. VII.

Generis sive Rationis Formalis locò hic ponitur excretio liquidorum qualitate non mutatorum per vesicam Urinariam: &c. cum excretio sit actus, qui in nostra est voluntate, propterea non immerito & hic locum invenit, nam liquida licet velocissimè emingantur, tamen ad tempus retardari etiam hic possunt, quod non contingit

B

in

in Urinæ incontinentia, in qua præter voluntatem contenta vesicæ effluunt, Sphinctere vesicæ ibidem ut plurimum resoluto, in affectu tamen nostro Salvo præterea quoniam potulenta immutata secundum qualitates suas odorem scilicet atque saporem excernuntur, facilè inde differentia specifica apparet, qua distinguitur Diabetæ notho & Urinæ incontinentiæ.

Th. VIII.

Subjectum Diabetæ à quibusdam Recentioribus salutatur Ventriculus, cujus poros foras spectantes plus solito in Diabete apertos esse statuunt: hujus igitur si nimis laxa est structura, contingit, ut potulenta assumpta, antequam rite alterari queant elabantur cito, per poros nimium hiantes, pyloro simul laxo plus justo connivente, ut ita hic descendant velocissimè immuta recta ad vesicam, neque ob celerrimam excretionem ad cor penetrant, & circulationis legibus, ut alia alimenta in ventriculo resoluta pareant. Insuper ventriculum hic non immunem esse confirmant potulenta, quæ plane immutata excernuntur, quod minime fieret, si ille rectè esset constitutus, cum alia alimenta, simulac ventriculum sunt ingressa, statim immutentur, aliamque faciem induant.

Th. IX.

Subjectum secundarium post Massam Sangvineam, quam Cartesiani ponunt, possunt quoque esse Renes, & quidem juxta Veteres Authores, qui siccitatem & caliditatem illorum accusant nimiam, qua mediante serum sanguinis nimia copia attrahere illos credunt: minimè autem Renes tanquam primarium subjectum considerandi

di sunt, quod patet ex Curatione, in qua ad ventriculum respectus potissimum habetur, siquidem consueto Naturæ cursu immutatio assumptorum fit in ventriculo, potulenta verò hoc in affectu immutata ex illo celerrimè egrediuntur.

TH. X.

Ad morbos feliciter curandos cum non parum conferat causarum investigatio, merito hic de causa immediata solliciti sumus; quæ etiam, quò rarior noster est affectus, eò intricatior deprehenditur, adeo, ut quot Capita sunt Authorum illum affectum tractantium, tot etiam de causa hujus immediata sint opiniones. Galenus ejusque Affectæ calidam Renum intemperiem in medium proferunt, quam concurrere quidem posse concedimus, ut causam mediatam, quatenus scilicet renes ob poros nimio calore expansos potulenta à ventriculo communicata statim iterum effluere ad vesicam sinunt. Hartmannus clarissimus Chymicus renum facultatem retentricem imbecillem, attractricem autem depravatam statuit: cum tamen secundum Recentiores nullum in corpore nostro liquidum attrahatur à partibus, sed potius ad illas propellatur. Celeberrimus Riverius non solum humorem adustum acrem & biliosum in hepate & renibus stagnantem, sed venenatam insuper quandam singularem qualitatem huic morbo generando idoneam adducit, ad eundem modum affligentem, quo serpens Dipsas appellatus morfu suo hominibus venenum sitim concilians perpetuam infert: præterea quia sitis semper adest, humorem biliosum in ventriculo latere concludit. Felicissimus sui temporis

poris Practicus Sylvius agnoscit sal volatile acre ab extra admissum vel intra corpus genitum: Carthesii Schola increpat sal sanguinem in serum præcipitans. Paracelsus causam hujus affectus ponit in sale resoluto & scisso per ingressum acuti salis lib. 2. de Tart. ut taceam plures Authorum de hujus affectus causa latas sententias, quæ maxima ex parte ad causas antecedentes referri possunt.

TH. XI.

Causa immediata, quæ posita est in descriptione hujus affectus, est Spiritus Ventriculi peculiariter corruptus qui assumpta intacta relinquit, neque illa, uti alias in statu naturali solet, secundum fermentationis leges transmutat, & vitalitatis Characterem imbut: cui accedit Ventriculi laxitas & tonus depravatus, unde liquidiora absque mora tendunt ad vesicam: poros enim hinc adeo distentos observavit Bartholinus Clarissimus Anatomicus, ut etiam semina coriandri & anisi statim ut assumpta erant, integra cum Urina iterum sint exclusa: præterea non pauca prostant Empyicorum exempla, qui pus per Urinam reddiderunt.

TH. XII.

Causas Remotiores quod concernit, ex Rebus naturalibus primo se offert ÆTAS Juvenilis, quæ præ senili aptior ad fomitem hujus affectus concipiendum habetur: quia Juvenum partes sunt molliores, earumque pori facile à calore dilatari possunt ad potulenta transmittenda; hoc modo etiam à Veteribus TEMPERAMENTUM

TUM Cholericum vel atrabilarium maximè dispositum ad hanc labem æstimatur: Sic à constitutione corporis atrabilia quadrimestrem Diabetem ortum fuisse recensetur in *Zodiac. Medic. Gall. Anno 1681.* ubi cum calore conjuncta sitis intensissima afflixit ægrotantem tantopere, ut 24. horarum spatiò aquæ quatuor Situlæ exhaustæ iterum per vesicam immutatæ excretæ sint.

TH. XIII.

SEXUS si ulla hic habenda est ratio, sexum potiore præ sequire huic morbo magis expositum affirmarem, quia in feminis impuritates corporis, quæ ansam huic morbo dare queunt, per fluxum menstruum præprimis exterminantur: licet non penitus exclusas feminas velim: cum exempla prostant, quod eadem labe quoque fuerint correptæ, licet rarius: quemadmodum Forestus observavit lib. 24. in vetula Alcmariana Diabetem.

TH. XIV.

Insuper quod in calidioribus Regionibus Diabètes sit frequentior ex observatione Rabbi Mosis supra adducta patet, ut Cardanum & alios Authores, qui idem restantur, silentii peplo involvam.

TH. XV.

Ex Causis NON NATURALIBUS primum se sistit AER, qui secundum anni tempora variat: æstivus calidus maximè idoneus existit ad bilem copiosè producendam, Oiumq; foecunda est genetrix æstas: cum enim ob calorem æstivum sitis intendatur, potulenta imprimis frigida & acidula palato gratissima tunc avidè expetuntur, unde

alteratio contingit in malsâ sanguineâ, dum immediatè ad viscera æstuantia frigida potulenta tendunt, ventriculo plerumqve debili existente. Ut aër calidus poros rarefaciendo, sic contra frigidus poros constringendo in culpa esse potest, quia ob transpirationem impeditam serum & acres vapores retropulsi damnum corpori inferre possunt.

TH. XVI.

Error in Cibo & Potu tam in quantitate, quam qualitate commissus ante omnia hic accusandus venit: Sic nimius caparum esus adolescentem quendam, teste Jacobo Sylviô in Diabetem coniecit: ex largiori farciminum piperatorum usu ortum Diabetem annotat Schenckius *obs. lib. 3.* item ex abusu cydoniorum Alphonsum Regem Neapolit. Diabeticum fuisse factum observavit Paschasius *lib. 1. cap. 3.* de morbis: sic in genere fructuum horariorum nimius usus huic malo ansam dare poterit, uti & fassamentorum frequens ingestio. Potum acidularum nimium hunc affectum inducere posse præter celeberrimum Etmullerum & alios Authores, testis est Hildanus in *Chirurg. cap. 2.* ubi se vidisse narrat puerum in copia acidulas bibentem, singulisque noctibus plusquam libras decem Urinæ nihil alteratæ emingentem. Vini etiam meracioris potus assiduus & copiosus non rarò est in culpa: Sic inter alios Bartholinus de seipso affirmat, quod vinum Rhenanum excreverit per vesicam vino epoto tam simile, ut illud pro vino ipso harum rerum ignaro potu-

potuerit propinari : quo pertinet secundum Hartmannum, nimius diureticorum medicamentorum, & aquarum thermalium usus.

TH. XVII.

Vigilias quoque protractas symbolum suum conferre posse nemo facile negabit : spiritus enim lucubratione nimiam disperguntur & debilitantur, unde cruditates & humorum vitiosorum accumulationes in ventriculo aliisque visceribus presso pede insequuntur, Salia in corpore augentur, tonus ventriculi depravatur, fibrae laxantur & adeo vellicantur, ut justo citius dimittant potulenta immutata.

TH. XVIII.

MOTUS etiam nimius, praesertim si dispositio jam adest, huc facit : quippe ut quies ad alvi constipationes & Urinae suppressionem aliquid contribuit, ita motus excessivus contra dejectiones alvinas & Urinae citiores & copiosiores reddere valet.

TH. XIX.

Videmus insuper, quod, si forte alvus per aliquot dies non respondet, Urina majori in copia fluat: Sic in sexu sequiori menses stagnantes acriores redditi diabeterem causare possunt, ut & aliae excretiones consuetae suppressae.

TH. XX.

Inter Animi PATHEMATA primo sese offert excandescencia nimia, quae prius in celeriore motum conjicit, & Omnia acriora & fluidiora reddit, unde mirum non est,

est, quod saepenumero alvi, & praesertim Urinae fluxus copiosior inde contingat: Neque sicco pede praetereunda est nimia proclivitas in VENEREM, cujus abusus accusatur in hoc affectu ab Hartmanno praecipue, quia in hoc in exercitio maximè dissipatis viscerum naturalis vigor deperditur, & humores crudi & vitiosi colliguntur.

TH. XXI.

Agmen claudunt RES PRÆTERNATURALES, quæ huic symptomati facem praeferunt. Sic post Febres pestilenciales & alios morbos Chronicos hoc malum se manifestavit teste Junckio: Sic à Febre maligna talem annotavit *Trincavell. lib. 10. c. 11.* Febres etiam acutas insequi solet, testantibus idem Willisio, aliisque Practicis quamplurimis: Hildanus & plures Authores Diabetem à calculo ortum observarunt, quod etiam affirmat Petrus Paw Gallus, qui renes cujusdam Diabete extincti admodum flaccidos invenit. Fischerus narrat in sua praxi exemplum orti Diabetæ post casum ab alto, quo ultima dorsi vertebra, à qua nervus qui vesicam constringendi vim habet, progrediens læsus fuit, unde Urina retineri non potuit: quod etiam venena dentur, quæ hunc morbum producere possunt, de hoc nemo facilè dubitabit.

TH. XXII.

Ex rebus supra naturalibus hunc affectum ortum suum habuisse, licet rarissima existant exempla, attamen cum Satanae mille sint fraudes, milleque nocendi artes, nullum est

est dubium, quin per instrumenta sua sagas scilicet & veneficos hoc malum hominibus inducere possit.

TH. XXIII.

Cognitis Causis DIFFERENTIÆ veniunt demonstrandæ, & quidem Ratione Generis dispescitur Diabetes in Verum & nothum: in illo potulenta copiosiora planè non mutata; in hoc autem parum mutata exercernuntur: differt etiam Diabetes ab incontinentia Urinæ, quia in hac ob resolutionem sphincteris vesicæ, paralytisque nervorum ibidem collocatorum Urina absque acrimonia & doloris sensu præter arbitrii imperium nocte dieque effluit. Non raro quoque in febribus acutis Urinæ profluvia copiosiora ad tempus contingunt, ut & in illis, quibus corpus aquosi humoris copiâ turget, & qui largissimè bibunt: ubi tamen potulenta maximè mutata descendunt; ideoque ad Diabetem minimè sunt referenda, quia sitis inexhausta, corporis colliquatio, & cætera Diabetæ symptomata non adsunt, & ut plurimum sunt critica profluvia.

TH. XXIV.

Cum Diabetes ex illorum genere sit, quæ celari nequeunt, DIAGNOSIS ejus eò facilior erit, & quidem signum illius Pathognomonicum est, si conferantur assumpta potulenta cum liquidis per vesicam excretis, quæ si inter se in omnibus qualitatibus immutata conveniunt, de hujus affectus præsentia nullum amplius superest dubium; sitis insuper adest insatiabilis, quæ non sedatur à potu, qui statim, eâ formâ quâ assumtus, copiosior iterum

C

rum

rum κατω rejctur, appetitus porrò ciborum solidorum ut plurimum prostratus est. Oris etiam siccitas, & salivæ albæ & spumosæ exspuiones frequentiores vexant ægros: Alvus adstrictior & ardor viscerum indivulsi sunt hujus affectus comites, quia hic summa Massæ sanguinæ colliquatio adest, humidumq; quod adhuc ad viscera irriganda supererat, per insensilem transpirationem abigitur, unde partium nutritio cessat, & Tabes totius corporis, ut symptoma hujus morbi gravissimum presso pede insequitur. Inter symptomata, quæ optima signa diagnostica constituunt, maximè torquent ægrotum dolores vagi in toto corpore cum spasmis, unde apparet genus nervosum simul affectum esse. Clarissimus Hartmannus inter symptomata refert, quod lumbi Diabeticorum intumescant, totum corpus contra gracilescat: prius fit, quia lumbi præ aliis visceribus majorem debilitatem contraxerunt, quia quia \ominus insitus ad humores vitiosos expellendos insufficientis est, nulla enim fit stagnatio, nisi pars prius sit debilitata: posterius contingit, quia \ominus acre & \dagger dum peculiare Massam sanguineam præcipitans nutritionem impedit, unde etiam Hæctica non rarò supervenit huic morbo: debilitas virium & animi anxietas etiam inter symptomata locari merentur: à quibusdam Authoribus pinguedo Urinæ supernatans observata est.

TH. XXV.

Prognosis prudenter institutam apud ægros spem inter & metum versantes Medico famam conciliare cum sit notum, magnâ cautione opus esse arbitramur in prædictione

dictione salutis & mortis: hæc triplex observatur: (1.)
 ratione Subjecti: Sic Juniores facilè curantur, modo in
 principio remedia convenientia adhibeantur, præprimis
 si excreta in initio non superant assumpta: in senibus ve-
 ro (licet rarius hic affectus accidat) omnium Autho-
 rum consensu curatu difficillimus est, imo prorsus in-
 curabilis, præprimis si simul senili marasmò laborant,
 ob vires maximè prostratas, & corpus minus succulen-
 tum, cum contra in juvenibus humidum magis abun-
 det.

TH. XXVI.

(2.) Ratione Causæ: Sic Diabetes post Venerem
 immodicam, & laborem immoderatum maximè pericu-
 losus, & utplurimum funestus judicatur: item post febres
 chronicas ferè incurabilem fatetur Riverius lenteriam
 Urinalem: (3.) Modum eventus quod attinet: Diabe-
 tes verus in principio minus habet periculi: si verò diu-
 tius durat, ad tabem & mortem ducit ægrum ob nutriti-
 onem frustratam. Ulterius Hydrops ad matulam feбри-
 bus ardentibus superveniens utplurimum ægrotum mor-
 ti tradit: è contrario liqvores diureticos copiosius hau-
 stos Diabetes insequens cum *εὐφορίας* nil portendit pe-
 riculi.

TH. XXVII.

In Theoria hujus affectus hætenus occupati, jam ad
 Therapiam ejusdem nos accingimus, quæ nititur *Indica-
 tione Curatoriâ*, respiciente ad Diabetem jam factum a-
 verruncandum: *Præservatoriâ*, quæ innuit, quibus reme-
 diis

diis diabetes jam imminens sit præcavendus : tandemque *Vitali*, quæ virium vitalium rationem imprimis habet : materiam præsidiorum subministrant Chirurgia, Pharmacia & Diæta.

TH. XXIIIX.

Ex *Fonte Chirurgio* nonnulli Practici Venæ Sectionem commendant refrigerationis & revulsionis gratiâ, & quidem in principio viribus adhuc constantibus, instituendam, imprimis si plethora adest, illa ad refrigerium Massæ sangvineæ aliquid facere potest : in delectu venarum quidam curiosi sunt, alii Epaticam eligunt : nonnullis placet sectio basilicæ : alii medianam secare jubent : sed hanc controversiam circulationis sanguinis leges facile tollunt, nam idem sanguinis circulatur in omnibus venis : Cum autem Diabetes non tam à sanguine, quam à spiritu ventriculi peculiariter corrupto & ibusque acribus ibidem & in toto venoso genere contentis originem habeat, æger parum inde levaminis & adjumenti sentiet, nisi ut supra dictum fuit, insignis plethora Venæ sectionem suadeat : idem sentiendum arbitror de scarificatione, quam *Lævinus Fischerus* commendat.

TH. XXIX.

Pharmaceuticum Armamentarium uberiores remedium tam externorum, quam internorum copiam nobis exhibet : & primo se sistunt *Evacuantiæ ἀνω γει νάτω* : *Riverius* commendat quidem *Vomitorium* ex decocto seminis Raphani, ebuli, cum oxymelite, quod revellere ait materiam peccantem à viis urinariis, cui tamen *Lipsiensis*

um Medicorum decus Beatus Ertmullerus calculum su-
 um rectè denegat: Vomitus enim turbas in corpora exci-
 tat, humoresque jam antea fatis motos magis commo-
 vet, & facit, ut pori ventriculi inde magis amplientur,
 quam contrahantur: idem ferè de *Purgantibus* sentien-
 dum, nisi sint mitissima, quæ Saburram acrem ventriculi
 Archæo molestant, fibrasque ejus nerveas vellicantem
 successivè educunt, è quorum numero sunt pulpa tama-
 rindorum, medulla cassiæ, item decoctum myrobalanor.
 syrupus cichorei cum rhabarbaro, syr. rosar. solutivus &
 simil. nec ipsius rhabarbari in substantia usus heic exclu-
 ditur. Franciscus Joel egregiam potionem Cholagogam &
 phlegmagogam præscribit, ex Rhabarbar. Oriental. agaric.
 & fol. fer.n. c. Aqua cichorei p. 400. *Indicationes* enim
 præcipuæ hic sunt, ut ventriculi exorbitans Archæus in
 ordinem redigatur, digestio prima vitiata corrigatur, &
 pori seu viæ nimis dilatatæ ad naturalem statum reducan-
 tur, Æiūmqve acrimonia & sanguinis calor nimius quan-
 tum possibile, compescatur.

TH. XXX.

SUDORIFERA, quæ impetuosum liquidorum ad
 vesicam prolapsum alio, ad poros scilicet cutaneos con-
 vertunt, & non nisi temperatissima hic locum meren-
 tur, qvalia sunt: rad. chinæ, sarsaparill. lign. Sassafr. & si-
 milia; vitanda verò sunt angue pejus validiora diaphore-
 tica, quorum plurima simul sunt diuretica, quæ malum
 exasperant & pejus reddunt.

C 3

TH. XXXI.

Post universaliora præsidia in ordine se sistunt *robora-*
rantia tonum viscerum, imprimis verò Ventriculi, & hu-
 morum acrimoniam temperantia: quò spectant etiam
 adstringentia, v. gr. Martialia, ut Tinctura Martis ad-
 stringens, chalybs potabilis per \ominus um salis solutus, essen-
 tia croci martis à Crollio descripta, item lapis hamatites
 ejusq; Tinctura adstringens: minera martis Solaris cum
 \ominus u roris majalis præparata: neq; hic excluditur Tinctura
 Smaragdina, cujus præparatio extat apud Hartmannum:
 quemadmodum etiam Tinctura & \ominus Corallorum mirabiles
 edunt in Diabete effectus. Huc etiam referri possunt *adstrin-*
gentia seu styptica propriè dicta, ex gr. radix tormentill.
 bistort. plantag. Decoctum prunorum sylvestrium, & si-
 milium: huc pertinent cydonia, quæ in laxitate præpri-
 mis stomachi corrigendâ quam maximè valere Schröde-
 rus l. 4. pharmacop. cap. 124. scribit, quamvis nonnulli il-
 la Diuresin augere putent: Sic Schenckius Diabetem ex
 usu cydoniorum frequenti observavit: Conducit etiam
 syrupus myrtillorum, de ros. sicc. plantag. & ribium, qui
 suâ vi astrictoria non minus effectus suos heic edunt.

TH. XXXII.

Terrestria & Acida similiter maximè hic sunt in usu:
 ex *Terrestribus* sese offerunt terra sigillata, bol. armen.
 lap. specular. calcinat. C. C. ust. item quinque lapides præ-
 tiosi, nec non Tinctura Terræ Catechu, &c. Inrer Acida
 numerantur Oleum Vitrioli, quod secundum Riverium
 non tantum sitim exstingvit, verum etiam fluxum prohi-
 bet,

bet, & simul malignitati resistit: ut & S Vitrioli, sulphuris, nitri, salis dulcificati: acida tamen vitari possunt, si acidulæ plenius haustæ Diabeti ansam dederunt: quod si verò à salibus acris potissimum originem traxerit, acida merito locum hæc sibi vendicant.

Th. XXXIII.

Oleosa & *Viscosa* etiam hęc in affectu sunt commendatissima: qualia sunt semina papaveris albi, plantaginis, acetosæ, sumach, &c. item nuces pineæ, pistacia, amygdalæ dulces, & sim. *Viscosa* quoque apprimè conducunt, ut: Gummi Arabicum, Tragacanthum, mastiche, semen psyllii, rad. symphyti major. & syrupus de symphito: item species diatragac. frigid. & conserva radicis symphiti.

Th. XXXIV.

Refrigerantia laudabiles hęc quoque præstant effectus, calorem nimium contemperando, & humorum impetuotum motum refrænando, è quorum serie sunt semina quatuor frigida majora & minora, item aquæ & syrupi endiviæ, nymphææ, violar. & simil. Nec inutilem navant operam *Clysteres* ex infrigidantibus facti, ut & horum ope humorum motus sistatur: Possent etiam præscribi leniter adstringentes, & poros constringentes. Riterius hic lenientia, ut malvam, althæum &c. addit.

Th. XXXV.

Agmen denique claudunt Opiata & narcotica, quæ prudenter usurpata in hoc affectu plurimum profunt, unde Etmullerus ingeniosissimus in disput. de opio præcipit,

cipit, quod Diabeticorum nimbus Urinarius per opiata sit sistendus. Willisius Anglicorum Medicorum decus laudanum liquidum Cydoniatum, in fatis magnâ quantitate vesperi sub lecti ingressum exhibet: sic Zacutus Lusitanus lacte chalybeato cum philonio persico Diabetem se curasse desperatum, scribit: sed opiatorum usus non sit nimius, cum etiam in opio aliqua virtus diaphoretica & diuretica insit: & Walæus affirmat in methodo medendi p. 151. *quod mithridatium & Theriaca absque opio preparata prorsus sudorem non moveant.*

TH. XXXVI.

Ex hisce prælaudatis Medicamentis variæ formulæ facilè combinari possent, sed cum abunde tales jam essent apud Authores, vix à me emendabiles, in his componendis non ulterius immorabor: imprimis Willisius sæpius laudatus Formulas omnis generis accuratissimè conscripserat, inq; hoc affectu efficacissimas in praxi suâ communicat. Erastus commendat syrupum ex radice symphiti majoris & prunis sylvestribus confectum, quem se semper felici cum successu usurpasse asserit: huc etiam emulsionem infrigidantes cum aqua chalybeata, ut & serum lactis chalybeatum, quod sanguinem incrassando & poros laxos constringendo vim suam exerit, referri possunt.

TH. XXXVII.

Inter externa Balnea hic quoque locum merentur: Sed illa non debent esse excessivè frigida, alias constrictio pororum subitanea & nimia malum pejus reddit: Franciscus Joel celeberrimus Medicus, præscribit ejusmodi
Balneum

Balneum sudoriferum, & potionem egregiam post balneum assumendam. Fomentationes etiam ex aqua plantaginis cum chalybe decoctâ regioni renum & vesicæ post balneum applicari possunt.

TH. XXXIIX.

Paracelsus linimenta frigefacientia renibus applicare jubet ex oleo papav. nymphææ, unguento popul. &c. idem alia anodyna renibus extra admoveri jubet: alii alia commendant, v. gr. unguentum refrigerans Galeni camphoratum, mucilaginem seminis Psyllii, cataplasma ex farina hordei, succo plantag. pulv. malicorii, balaust. &c. Hartmannus sperma ranarum, in quo destillato Θ H ni solutum est, regioni dorsali cum linteis applicatum, ut singulare extollit experimentum.

TH. XXXIX.

Remediorum hætenus commendatorum usus parum efficit, nisi accurata *Dieta* ratio simul observetur: hæc consistit in assumptione alimentorum N corruptum emendantium & sanguinem nimis rarefactum & acrem incrassantium, porosque laxos constringentium; id quod obtinetur optimè lacticiniis chalybeatis, cerevisiâ chalybeata, cui C.C. ustum addi poterit. Cibi sint incrassantes, ut panis, pulres, variaque ex tritici farina parata: amyllum in jure carnis coctum, oryza, nec non pedes vervecini, vitulini, porcini & ova sorbilia, juscula itidem ex carnibus bonæ notæ parata, in quibus folia lactucæ, portulacæ & oxalidis sint incocta: Aqua hordei & avenacea à Joële laudantur.

D

TH.

Aer tandem ubi æger versatur, sit moderatus: somnus diuturnior: alvus quotidie aperta: vitetur nimis motus, potius indulgendum quieti, animique pathemata sanguinem magis commoventia fugienda. Decubitus in dorso supinus, & quæcunque calefaciunt & siccant humores summò studiò cavenda. Quæ omnia si ritè observentur, spero, fore, ut curatio ex voto fluat, & brevi æger, DEO benedicente pristina restitatur sanitati.

Tantum!

SOLI DEO GLORIA!

Errata. p. 12. in Thef. XII. lin. 4. pro earum, lege eorum
pag. 18. lin. 3. pro exspuiones, lege exspuitiones.



NOBILIS

NOBILISSIMO DOMINO
DOCTORANDO WILSTERMANNO

pro LICENTIA disputanti
ex animo gratulatur

PRÆSES.



Nulla Machaoniâ Studiosus in Arte Vacunæ
Tempora sacraſti, ſed ſedulus uſque Me-
dentum

Triviſti libros, nulli parcendo labori:
Nunc voti compos ab amânâ factus Hierâ
In patriam tendes titulis & honoribus auctus,
Percipiesqve bonos poſt hæc conamina fructus:
Nec dubito, qvin ſis languentibus emolumento
Pluribus auxiliis ibi conſiliisqve futurus,
Subveniente DEO, Tibi cui confidere ſoli
Fas erit, ac illi Medicam committere praxin:
Hic, velut opto, tuos ſi fortunaverit actus,
Semper eris felix, & ab omni parte beatus.

*Allrea, quæ dudum cupiſti, præmia Phœbi
Nunc Hierana TIBI promeruiſſe dabit.*

*Scilicet id genii meruit Tua vivida virtus,
Dexteritate Tuâ, quæ decorata micat.*

*WILSTERMANNE Tuam ſortem TIBI gratulor iſtam,
Augeat banc famam Fama perenne Tuam!*

ita Nobiliſſ. & Clariſſ. DN. DOCTORANDO
congratulatur

JUSTUS VESTI, Med. D. Anatom. Chirurg. &
Botan, P.P. ejuſq; Facultat. p.t. DECANUS.

Hinc

Hinc demum auspicii sequitur victoria laeti,
 Si cui Musa favet, nec sua cura deest.
 Nascenti ut TIBI risit dulce benignus Apollo,
 Sedulitasque diu est continuata TIBI.
 Quod fatis & Patriæ norunt bene nota Lycea,
 Nostra fide novit Geraque non dubia
 Nunc fructum tribuit tam gnavo Gera labori,
 Cui tentare licet pulpita jam Medica.
 Sic vero Patriæ, voveo, nec munera desint
 Nec deerunt: Scriptum de Diabete meret.

*Nobilissimo atq; Clarissimo DN. DOCTOR AN-
 DO Auditori suo & amico gratulabundum
 hisce exposuit animum*

LUDOV. FRID. JACOBI, Med. D.
 P. Chym. Publ. A. O. S. G.


Duff stete Müß' und Fleiß / folgt endlich auch die
 Cron /


Wer Kunst und Weißheit liebt / bleibt niemahls unbelohnet
 Drum wird die Lorbeer Ihm / Herr Wilstermann
 zu Lohn /

Weil auch ein solcher Geist / in seinem Herzen wohnt.
 Wir wünschen billich Glück : Er fahre ferner fort
 Es müsse Ehr und Ruhm Ihn iederzeit begleiten /
 Und Fama schon nicht Sein Lob weit auszubreiten /
 So kommet er gewünscht an den Vergnügungs-Port.

Diese wenige Zeilen wolte dem Herrn Docto-
 randen zu Ehren mit beysetzen

Seine Tisch-Gesellschaft.





DO A 6374

ULB Halle 3
002 929 228



86

1517







49. AA

QVOD FELIX FAUSTVMq. SIT!

DIABETES,

Germanicè, die *Wasserkuche* /

IN
DISSERTATIONE MEDICA INAUGURALI,
ANNUENTE DIVINA GRATIA,
ET AMPLISSIMO MEDICORUM ORDINE CONSENTIENTE,

IN PERANTIOVA HIERANA
SUB PRÆSIDIO
MAGNIFICI UNIVERSITATIS RECTORIS,
DN. GEORGII CHRIS-
TOPHORI PETRI

ab *Wartensfelß* /
Med. D. Sacri Palat. Cæs. Comit. Archiat. Elector. Mo-
gunt. Fac. Med. Senioris, P.P. Physici Erfurt. & P.L.C.
PATRONI & PROMOTORIS sui omni honoris cultu
deveneriandi,

PRO LICENTIA

Honores, immunitates & PRIVILEGIA DOCTORALIA
legitimè consequendi,

Placide Eruditorum ventilationi committitur
In Auditorio Majori Collegij Majoris,
Horis locoqve consvetis,
ad diem 16. Octobris, Anno M. DC. XCI.

NICOLAO *Wilsfermann* /
Crempâ-Holfatò.

ERFORDIÆ, Stannò GROSCHIANO,